

XI. Utrumq; & JESU & Christi nomen, ut primum auditum, immediatè in notitiam officii, nobis tam fructuosi, mediatè in notitiam Divinæ humanæqve naturæ, ad officium necessariæ, deducit.

XII. Cum Redemptorem nostrum instrumentum DEI vocavit Lutherus, eâ improprietas libertate usus est, quâ Christus ipse, qui Spiritum DEI, Matth. XII. 28. digitum DEI appellavit, Luc. XI. 20.

Disp. XXII.

De

Naturis in Christo.

I.

Qui dixerit, rem levem esse, Filium DEI dicere ὁμοίσιον potius, quam ὁμοόσιον, animum arguit, aut ab universæ per totum orbem Ecclesiæ consensu alienum, aut vocum innovatione sine causâ omnia turbantem.

II. Non potest sincerè vel satisfactio pro peccato, vel meritum vitæ æternæ, vel redemptio ex inferno credi nisi creditâ Divinitate Christi.

III. Qui tolerandos esse Divinitatis Christi inficiatores contendunt, subditis infidelibus similes sunt, qui fidem idè præ se ferunt, ut Principem eò tutius prodant.

IV. Ea ipsa numero Divina natura, quæ in Patre est, Filio est communicata.

V. Vnde rectè dicitur *ὡς τὸ θεῶν*.

VI. Non revocat Socinianos ad meliorem mentem, qui eos facit Arianos, neque aliquid eâ promotione lucratur; ut hoc prætextu Nuclei sui editionem excusat Gardinero Sandius.

VII. Quum toties legatur Christus, dum inter mortales vixit, ad auxilia, omni humanâ ope majora, invocatus, clarissimaque Divinitatis ipsius confessione, Matth. XVI. 16. celebratus, nonnisi temerè & absurdè à P. Chauvino negatur, eum in diebus carnis fuisse adoratum & à discipulis pro DEO agnitum,

D 3

IIIX. Non